

## CLAUDIEN

## CONTRE RUFIN (952 vers)

## PRAEFATIO I

R1\_1 v.1 Phoebéo domitus Python cum decidit arcu  
 2 membraque Cirrhaeo fudit anhela jugo,  
 3 qui spiris tegetet montes, hauriret hiatu  
 4 flumina, sanguineis tingeret astra jubis,  
 5 jam liber Parnasus erat nexuque soluto  
 6 coeperat erecta surgere fronde nemus ;  
 7 concussaëque diu spatiosis tractibus orni  
 8 securas ventis explicuere comas ;  
 9 et qui vipereo spumavit saepe veneno  
 10 Cephisos nitidis purior ibat aquis.  
 11 Omnis "Io Paeon" regio sonat ; omnia Phoebum  
 12 rura canunt ; tripodas plenior aura rotat,  
 13 auditoque procul Musarum carmine dulci,  
 14 ad Themidis coeunt antra severa dei.  
 15 Nunc alio domini telis Pythone perempto  
 16 convenit ad nostram sacra caterva lyram :  
 17 qui stabilem servans Augustis fratribus orbem,  
 18 justitia pacem, viribus arma regunt.

## LIBER I

R1\_2 v.1 Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,  
 2 curarent superi terras an nullus inesset  
 3 rector et incerto fluerent mortalia casu.  
 4 Nam cum dispositi quaesisset foedera mundi  
 5 praescriptosque mari fines annique meatus  
 6 et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar  
 7 consilio firmata dei qui lege moveri  
 8 sidera, qui fruges diverso tempore nasci,  
 9 qui variam Phoeben alieno jusserit igni  
 10 conpleri Solemque suo, porrexerit undis  
 11 litora, tellurem medio libraverit axe.  
 12 Sed cum res hominum tanta caligine volvi  
 13 aspicerem laetosque diu florere nocentes  
 14 vexarique pios, rursus labefacta cadebat  
 15 religio causaeque viam non sponte sequebar  
 16 alterius, vacuo quae currere semina motu  
 17 adfirmat magnumque novas per inane figuras  
 18 Fortuna non arte regi, quae numina sensu  
 19 ambiguo vel nulla putat vel nescia nostri.  
 20 Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum  
 21 absolvitque deos. Jam non ad culmina rerum  
 22 injustos crevisse queror : tolluntur in altum  
 23 ut lapsu graviore ruant. Vos, pandite vati,  
 24 Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.  
 25 Invidiae quondam stimulis incanduit atrox  
 26 Allecto, placidas late cum cerneret urbes.  
 27 Protinus infernas ad limina taetra sorores,

28 concilium deforme, vocat. Glomerantur in unum  
 29 innumerae pestes Erebi, quascumque sinistro  
 30 Nox genuit fetu : nutrix Discordia belli,  
 31 imperiosa Fames, leto vicina Senectus  
 32 inpatiensque sui Morbus Livorque secundis  
 33 anxius et scisso maerens velamine Luctus  
 34 et Timor et caeco praeceps Audacia vultu  
 35 et Luxus populator opum, quem semper adhaerens  
 36 infelix humili gressu comitatur Egestas,  
 37 foedaque Avaritiae complexae pectora matris  
 38 insomnes longo veniunt examine Curae.  
 39 Conplentur vario ferrata sedilia coetu,  
 40 torvaque conlectis stipatur curia monstris.  
 41 Allecto stetit in mediis vulgusque tacere  
 42 jussit et obstantes in tergum reppulit angues  
 43 perque umeros errare dedit. Tum corde sub imo  
 44 inclusam rabidis patefecit vocibus iram :  
 45 "Sicine tranquillo produci saecula cursu,  
 46 sic fortunatas patiemur vivere gentes ?  
 47 Quae nova corrumpit nostros clementia mores ?  
 48 Quo rabies innata perit ? Quid inania prosunt  
 49 verbera ? Quid facibus nequiquam cingimur atris ?  
 50 Heu nimis ignavae quas caelo Juppiter arcet,  
 51 Theodosius terris. En aurea nascitur aetas,  
 52 en proles antiqua redit. Concordia, Virtus,  
 53 cumque Fide Pietas alta cervice vagantur  
 54 insignemque canunt nostra de plebe triumphum.  
 55 Pro dolor ! Ipsa mihi liquidas delapsa per auras  
 56 Justitia insultat vitiisque a stirpe recisis  
 57 elicit oppressas tenebroso carcere leges.  
 58 At nos indecores longo torpebimus aevo  
 59 omnibus ejectae regnis ? Agnoscite tandem  
 60 quid Furias deceat. Consuetas sumite vires  
 61 conventuque nefas tanto decernite dignum.  
 62 Jam cupio Stygiis invadere nubibus astra,  
 63 jam flatu violare diem, laxare profundo  
 64 frena mari, fluvios ruptis inmittere ripis,  
 65 et rerum vexare fidem." Sic fata cruentum  
 66 mugit et totos serpentum erexit hiatus  
 67 noxiaque effudit concusso crine venena.  
 68 Anceps motus erat vulgi : pars maxima bellum  
 69 indicit superis, pars Ditis jura tuetur,  
 70 dissensuque alitur rumor : ceu murmurat alti  
 71 inpacata quies pelagi, cum flamine fracto  
 72 durat adhuc saevitque tumor dubiumque per aestum  
 73 lassa recedentis fluitant vestigia venti.  
 74 Inproba mox surgit tristi de sede Megaera,  
 75 quam penes insani Fremitus animique profanus  
 76 Error et undantes spumis furialibus Irae :  
 77 non nisi quaesitum cognata caede cruorem  
 78 inlicitumve bibit, patrius quem fuderit ensis,  
 79 quem dederint fratres. Haec terruit Herculis ora,  
 80 haec defensores terrarum polluit arcus,  
 81 haec Athamanteae derexit spicula dextrae,  
 82 haec Agamemnonios inter bacchata penates  
 83 alternis lusit jugulis ; hac auspice taedae  
 84 Oedipoden matri, natae junxere Thyesten.  
 85 Quae tunc horrissonis effatur talia dictis :

86 "Signa quidem, o sociae, divos attollere contra  
 87 nec fas est nec posse reor ; sed laedere mundum  
 88 si libet et populis commune intendere letum,  
 89 est mihi prodigium cunctis inmanius hydri,  
 90 tigride mobilius feta, violentius Austris  
 91 acrius Harpyiis, flavis incertius undis,  
 92 Rufinus, quem prima meo de matre cadentem  
 93 suscepi gremio. Parvus reptavit in isto  
 94 saepe sinu teneroque per ardua colla volutus  
 95 ubera quaesivit fletu, linguisque trisulcis  
 96 mollia lambentes finxerunt membra cerastae.  
 97 Meque etiam tradente dolos artemque nocendi  
 98 edidicit simulare fidem sensusque minaces  
 99 protegere et blando fraudem praetexere risu,  
 100 plenus saevitiae lucrique cupidine fervens.  
 101 Non Tartesiatis illum satiarit harenis  
 102 tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis  
 103 aurea Pactoli. Totumque exhausit Hermum,  
 104 ardebit majore siti. Quam fallere mentes  
 105 doctus et unanimos odiis turbare sodales !  
 106 Talem progenies hominum si prisca tulisset,  
 107 Pirithoum fugeret Theseus, offensus Orestem  
 108 desereret Pylades, odisset Castora Pollux.  
 109 Ipsa quidem vinci fateor rapidoque magistram  
 110 praevenit ingenio. Nec plus sermone morabor :  
 111 solus habet scelerum quidquid possedimus omnes.  
 112 Hunc ego, si vestrae res est accommoda turbae,  
 113 regalem ad summi producam principis aulam.  
 114 Sit licet ipse Numa gravior, sit denique Minos,  
 115 cedet et insidiis nostri flectetur alumni."  
 116 orantem sequitur clamor cunctaeque profanas  
 117 porrexere manus inventaque tristia laudant.  
 118 Illa ubi caeruleo vestes conexuit angue  
 119 nodavitque adamante comas, Phlegethonta sonorum  
 120 poscit et ambusto flagrantis ab aggere ripae  
 121 ingentem piceo succendit gurgite pinum  
 122 pigraque veloces per Tartara concutit alas.  
 123 Est locus extremum pandit qua Gallia litus  
 124 Oceani praetentus aquis, ubi fertur Ulixes  
 125 sanguine libato populum movisse silentum.  
 126 Illic umbrarum tenui stridore volantum  
 127 flebilis auditur questus ; simulacra coloni  
 128 pallida defunctasque vident migrare figuras.  
 129 Hinc dea prosiluit Phoebique egressa serenos  
 130 infecit radios ululatuque aethera rupit  
 131 terrifico. Sensit ferale Britannia murmur  
 132 et Senonum quatit arva fragor revolutaque Tethys  
 133 substitit et Rhenus projecta torpuit urna.  
 134 Tunc in canitiem mutatis sponte colubris  
 135 longaevum mentita senem rugisque severas  
 136 persulcata genas et ficto languida passu  
 137 invadit muros Elusae, notissima dudum  
 138 tecta petens, oculisque diu liventibus haesit  
 139 pejorem mirata virum. Tum talia fatur :  
 140 "Otia te, Rufine, juvant frustra que juventae  
 141 consumis florem patriis inglorius arvis ?  
 142 Heu nescis quid fata tibi, quid sidera donent,  
 143 quid Fortuna paret : toto dominabere mundo

144 si parere velis ! Artus ne sperne seniles.  
145 Namque mihi magicae vires aevique futuri  
146 praescius ardor inest : novi quo Thessala cantu  
147 eripiat lunare jubar, quid signa sagacis  
148 Aegypti valeant, qua gens Chaldaea vocatis  
149 imperet arte deis, nec me latuere fluentes  
150 arboribus suci funestarumque potestas  
151 herbarum, quidquid letali germine pollens  
152 Caucasus et Scythicae vernant in germine rupes  
153 quas legit Medea ferox et callida Circe.  
154 Saepius horrendos Manes sacrisque litavi  
155 nocturnis Hecaten et condita funera traxi  
156 carminibus victura meis, multosque canendo,  
157 quamvis Parcarum restarent fila, peremi.  
158 Ire vagas quercus et flumina stare coegi  
159 versaque non prono curvavi flumina lapsu  
160 in fontes reditura suos. Neu vana locutum  
161 me fortasse putes, mutatos cerne penates."  
162 Dixerat et niveae (mirum !) coepere columnae  
163 ditari subitoque trabes lucere metallo.  
164 Illecebris capitur nimiumque elatus avaro  
165 pascitur intuitu. Sic rex ad prima tumebat  
166 Maeonius, pulchro cum verteret omnia tactu ;  
167 sed postquam riguisse dapes fulvamque revinctos  
168 in glaciem vidit latices, tum munus acerbum  
169 sensit et invisio votum damnavit in auro.  
170 Ergo animi victus, "Sequimur quocumque vocabis,  
171 seu tu vir seu numen", ait, patriaque relictas  
172 Eoas Furiae jussu tendebat ad arces,  
173 instabilesque olim Symplegadas et freta remis  
174 incluta Thessalicis, celsa qua Bosporos urbe  
175 splendet et Odrysiis Asiam discriminat oris.  
176 Ut longum permensus iter ductusque maligno  
177 stamine fatorum claram subrepsit in aulam,  
178 ilicet ambitio nasci, discedere rectum,  
179 venum cuncta dari. Profert arcana, clientes  
180 fallit et ambitos a principe vendit honores.  
181 Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem  
182 nutrit et exiguum stimulando vulnus acerbat.  
183 Ac velut innumeros amnes accedere Nereus  
184 nescit et undantem quamvis hinc hauriat Histrum,  
185 hinc bibat aestivum septeno gurgite Nilum,  
186 par semper similisque manet : sic fluctibus auri  
187 expleri calor ille nequit. Cuicumque monile  
188 contextum gemmis aut praedia culta fuissent,  
189 Rufino populandus erat, dominoque parabat  
190 exitium fecundus ager ; metuenda colonis  
191 fertilitas. Laribus pellit, detrudit avertis  
192 finibus ; aut aufert vivis aut occupat heres.  
193 Congestae cumulantur opes orbisque ruinas  
194 accipit una domus ; populi servire coacti  
195 plenaque privato succumbunt oppida regno.  
196 Quo vaesane ruis ? Teneas utrumque licebit  
197 Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,  
198 jungantur solium Croesi Cyrique tiarae,  
199 numquam dives eris, numquam satiabere quaestu.  
200 Semper inops quicumque cupit. Contentus honesto  
201 Fabricius parvo spernebat munera regum

202 sudabatque gravi consul Serranus aratro  
 203 et casa pugnaces Curios angusta tegebat.  
 204 Haec mihi paupertas opulentior, haec mihi tecta  
 205 culminibus majora tuis. Ibi quaerit inanes  
 206 luxuries nocitura cibos ; mihi donat inemptas  
 207 terra dapes. Rapiunt Tyrios ibi vellera fucos  
 208 et picturatae saturantur murice vestes.  
 209 Hic radiant flores et prati viva voluptas  
 210 ingenio variata suo. Fulgentibus illic  
 211 surgunt strata toris ; hic mollis panditur herba  
 212 sollicitum curis non abruptura soporem.  
 213 Turba salutantum latas ibi perstrepat aedes ;  
 214 hic avium cantus, labentis murmura rivi.  
 215 Vivitur exiguo melius ; Natura beatis  
 216 omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.  
 217 Haec si nota forent, frueremur simplice cultu ;  
 218 classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,  
 219 non ventus quateret puppes, non machina muros.  
 220 Crescebat scelerata sitis praedaeque recentis  
 221 incestus flagrabat amor, nullusque petendi  
 222 cogendive pudor : crebris perjuriam nectit  
 223 blanditiis ; sociat perituro foedere dextras.  
 224 Si semel e tantis poscenti quisque negasset,  
 225 effera praetumido quatiebat corda furore.  
 226 Quae sic Gaetuli jaculo percussa leaena  
 227 aut Hyrcana premens raptorem belua Parthum  
 228 aut serpens calcata furit ? Jurata deorum  
 229 majestas teritur ; nusquam reverentia mensae.  
 230 Non conjunx, non ipse simul, non pignora caesa  
 231 sufficiunt odiis ; non extinxisse propinquos,  
 232 non notos egisse sat est ; excindere cives  
 233 funditus et nomen gentis delere laborat.  
 234 Nec celeri perimit leto : crudelibus ante  
 235 suppliciis fruitur ; cruciatus, vincla, tenebras  
 236 dilato mucrone parat. Pro saevior ense  
 237 parcendi rabies concessaque vita dolori !  
 238 Mors adeone parum ? Causis fallacibus instat,  
 239 arguit attonitos se iudice. Cetera segnis,  
 240 ad facinus velox, penitus regione remotas  
 241 inpiger ire vias : non illum Sirius ardens  
 242 brumave Riphaeo stridens Aquilone retardat.  
 243 Effera torquebant avidae praecordia curae,  
 244 effugeret ne quis gladios, ne perderet ullum  
 245 Augusto miserante nefas. Non flectitur annis,  
 246 non aetate labat : juvenum rorantia colla  
 247 ante patrum vultus stricta cecidere securi ;  
 248 ibat grandaevus nato moriente superstes  
 249 post trabeas exul. Quis prodere tanta relatu  
 250 funera, quis caedes possit deflere nefandas ?  
 251 Quid tale inmanes umquam gessisse feruntur  
 252 vel Sinis Isthmiaca pinu vel rupe profunda  
 253 Sciron vel Phalaris tauro vel carcere Sylla ?  
 254 O mites Diomedis equi, Busiridis arae  
 255 clementes ! Jam Cinna pius, jam Spartace lenis  
 256 Rufino conlatus eris ! Dejecerat omnes  
 257 occultis odiis terror tacitique sepultos  
 258 suspirant gemitus indignarique verentur.  
 259 At non magnanimi virtus Stilichonis eodem

260 fracta metu ; solus medio sed turbine rerum  
 261 contra letiferos rictus contraque rapacem  
 262 movit tela feram, volucris non praepete cursu  
 263 vectus equi, non Pegaseis adjutus habenis.  
 264 Haec cunctis optata quies, haec sola pericli  
 265 turris erat clipeusque trucem projectus in hostem.  
 266 Hic profugis sedes adversaque signa furori,  
 267 servandis hic castra bonis. Hucusque minatus  
 268 haerebat retroque fuga cedebat inertis :  
 269 haud secus hiberno tumidus cum vertice torrens  
 270 saxa rotat volvitque nemus pontesque revellit,  
 271 frangitur objectu scopuli quaerensque meatum  
 272 spumat et inlisa montem circumtonat unda.  
 273 Qua dignum te laude feram, qui paene ruenti  
 274 lapsuroque tuos humeros objeceris orbi ?  
 275 Te nobis trepidae sidus ceu dulce carinae  
 276 ostendere dei, geminis quae lassa procellis  
 277 tunditur et victo trahitur jam caeca magistro.  
 278 Inachus rubro perhibetur in aequore Perseus  
 279 Neptuni domuisse pecus, sed tutior alis :  
 280 te non penna vehit. Rigida cum Gorgone Perseus :  
 281 tu non vipereo defensus crine Medusae.  
 282 Illum vilis amor suspensae virginis egit :  
 283 te Romana salus. Taceat superata vetustas,  
 284 Herculeos conferre tuis jam desinat actus.  
 285 Una Cleonaeum pascebat silva leonem,  
 286 Arcadiae saltum vastabat dentibus unum  
 287 saevus aper, tuque, o compressa matre rebellis,  
 288 non ultra Libyae fines, Antaeae, nocebas  
 289 solaque fulmineo resonabat Creta juvenco  
 290 Lernaemque virens obsederat hydra paludem.  
 291 Hoc monstrum non una palus, non una tremebat  
 292 insula, sed Latia quidquid ditione subactum  
 293 dividit a primis Gangem horrebat Hiberis.  
 294 Hoc neque Geryon triplex nec turbidus Orca  
 295 janitor aequabit nec si concurrat in unum  
 296 vis hydrae Scyllaeaeque fames et flamma Chimaerae.  
 297 Certamen sublime diu, sed moribus impar,  
 298 virtutum scelerumque fuit. Jugulare minatur,  
 299 tu prohibes ; ditem spoliatur, tu reddis egenti ;  
 300 eruit, instauratur ; accendit proelia, vincis.  
 301 Ac velut infecto morbus crudescere caelo  
 302 incipiens primos pecudum depascitur artus,  
 303 mox populos urbesque rapit ventisque perustis  
 304 corruptos Stygiam pestem desudat in amnes,  
 305 sic avidus praedo jam non per singula saevit,  
 306 sed sceptris inferre minas omnique perempto  
 307 milite Romanas ardet prosternere vires.  
 308 Jam gentes Histriae movet Scythiamque receptat  
 309 auxilio traditur suas hostilibus armis  
 310 reliquias. Mixtis descendit Sarmata Dacis  
 311 et qui cornipedes in pocula vulnerat audax  
 312 Massagetas patriamque bibens Maeotinae Alanus,  
 313 membraeque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus,  
 314 Rufino collecta manus. Vetat ille domari  
 315 innectiturque moras et congrua tempora differt.  
 316 Nam tua cum Geticas stravisset dextera turmas,  
 317 ultra ducis socii letum, parsque una maneret

318 debilior facilisque capi, tunc inpius ille  
 319 proditor imperii conjuratusque Getarum  
 320 distulit instantes eluso principe pugnas,  
 321 Hunorum laturus opem, quos adfore bello  
 322 norat et invisus mox se conjungere castris.  
 323 Est genus extremos Scythiae vergentis in ortus  
 324 trans gelidum Tanain, quo non famosius ullum  
 325 Arctos alit. Tristes habitus obscaenaque visu  
 326 corpora ; mens duro numquam cessura labori ;  
 327 praeda cibus, vitanda Ceres, frontemque secare  
 328 ludus et occisos pulchrum jurare parentes.  
 329 Nec plus nubigenas duplex natura bifformes  
 330 cognatis aptavit equis : acerrima nullo  
 331 ordine mobilitas insperatique recursus.  
 332 Quos tamen inavidus contra spumantis ad Hebri  
 333 tendis aquas, sic ante tubas aciemque precatus :  
 334 "Mavors, nubifero seu tu procumbis in Haemo,  
 335 seu te cana gelu Rhodope seu remige Medo,  
 336 sollicitatus Athos seu caligantia nigris  
 337 ilicibus Pangaea tenent, accingere mecum  
 338 et Thracas defende tuos. Si laetior adsit  
 339 gloria, vestita spoliis donabere quercu."  
 340 Audiit illa pater scopulisque nivalibus Haemi  
 341 surgit et hortatur celeres clamore ministros :  
 342 "Fer galeam, Bellona, mihi nexusque rotarum  
 343 tende, Pavor. Frenet rapidos Formido jugales.  
 344 Festinas urgete manus. Meus ecce paratur  
 345 ad bellum Stilicho, qui me de more tropaeis  
 346 ditat et hostiles suspendit in arbore cristas.  
 347 Communes sonipes litui, communia nobis  
 348 signa canunt junctoque sequor tentoria curru."  
 349 Sic fatus campo insiluit lateque fugatas  
 350 hinc Stilicho turmas, illinc Gradivus agebant  
 351 et clipeis et mole pares. Stat cassis utrique  
 352 sidereis hirsuta jubis loricaque cursu  
 353 aestuat et largo satiatur vulnere cornus.  
 354 Acrior interea voto multisque Megaera  
 355 luxuriata malis maestam deprendit in arce  
 356 Justitiam diroque prior sic ore lacessit :  
 357 "En tibi prisca quies renovataque saecula rursus,  
 358 ut rebare, vigent ! En nostra potentia cessit  
 359 nec locus est usquam Furiis ! Huc lumina flecte ;  
 360 aspice barbaricis jaceant quot moenia flammis,  
 361 quas mihi Rufinus strages quantumque cruoris  
 362 praebeat et quantis epulentur caedibus hydri.  
 363 Linque homines sortemque meam, pete sidera, notis  
 364 autumnus te redde plagis, qua vergit in Austrum  
 365 Signifer : aestivo sedes vicina Leoni  
 366 jam pridem gelidaeque vacant confinia Librae.  
 367 Atque utinam per magna sequi convexa liceret ! "  
 368 Diva refert : "Non ulterius bacchabere demens.  
 369 Jam poenas tuas iste dabit, jam debitus ultor  
 370 imminet, et terras qui nunc ipsumque fatigat  
 371 aethera nec vili moriens condetur harena.  
 372 Jamque aderit laeto promissus Honorius aevo  
 373 nec forti genitore minor nec fratre corusco,  
 374 qui subiget Medos et cuspide proteret Indos.  
 375 Sub juga venturi reges ; calcabitur asper

376 Phasis equo pontemque pati cogetur Araxes.  
 377 Tuque simul gravibus ferri religata catenis  
 378 expellere die debellatasque draconum  
 379 tonsa comas imo barathri claudere recessu.  
 380 Tum tellus communis erit, tum limite nullo  
 381 discernetur ager ; nec vomere sulcus obunco  
 382 findetur : subitis messor gaudebit aristis.  
 383 Rorabunt querceta favis ; stagnantia passim  
 384 vina fluent oleumque lacus ; nec murice tinctis  
 385 velleribus quaeretur honos, sed sponte rubebunt  
 386 attonito pastore greges pontumque per omnem  
 387 ridebunt virides gemmis nascentibus algae."

PRAEFATIO II

R2\_1 v.1 Pandite defensum reduces Heliconas sorores,  
 2 pandite. Permissis jam licet ire choris :  
 3 nulla per Aonios hostilis bucina campos  
 4 carmina mugitu deteriore vetat.  
 5 Tu quoque securis pulsa formidine Delphis  
 6 floribus ultorem, Delie, cinge tuum :  
 7 nullus Castalios latices et praescia fati  
 8 flumina polluto barbarus ore bibit.  
 9 Alpheus late rubuit Siculumque per aequor  
 10 sanguineas belli rettulit unda notas  
 11 agnovitque novos absens Arethusa triumphos  
 12 et Geticam sensit teste cruore necem.  
 13 Inmensis, Stilicho, succedant otia curis  
 14 et nostrae patiens corda remitte lyrae,  
 15 nec pudeat longos interrupisse labores  
 16 et tenuem Musis constituisse moram.  
 17 Fertur et indomitus tandem post proelia Mavors  
 18 lassa per Odrysias fundere membra nives  
 19 oblitusque sui posita clementior hasta  
 20 Pieriis aures pacificare modis.

LIBER II

R2\_2 v.1 Jam post edomitas Alpes defensaque regna  
 2 Hesperiae merita complexus sede parentem  
 3 auctior adjecto fulgebat sidere mundus,  
 4 jamque tuis, Stilicho, Romana potentia curis  
 5 et rerum commissus apex, tibi credita fratrum  
 6 utraque majestas geminaeque exercitus aulae.  
 7 Rufinus (neque enim patiuntur saeva quietem  
 8 crimina pollutaeque negant arescere fauces)  
 9 infandis iterum terras accendere bellis  
 10 inchoat et solito pacem vexare tumultu.  
 11 Haec etiam secum : "Quanam ratione tuebor  
 12 spem vitae fragilem ? Qua tot depellere fluctus  
 13 arte queam ? Premor hinc odiis, hinc milite cingor.  
 14 Heu quid agam ? Non arma mihi, non principis ullus  
 15 auxiliatur amor. Matura pericula surgunt  
 16 undique et impositi radiant cervicibus enses.  
 17 Quid restat, nisi cuncta novo confundere luctu  
 18 insontesque meae populos miscere ruinae ?  
 19 Everso juvat orbe mori : solacia leto

20 exitium commune dabit nec territus ante  
 21 discedam : cum luce simul linquenda potestas."  
 22 Haec fatus, ventis veluti si frena remittat  
 23 Aeolus, abrupto gentes sic obice fudit  
 24 laxavitque viam bellis et, nequa maneret  
 25 immunis regio, cladem divisit in orbem  
 26 disposuitque nefas. Alii per terga ferocis  
 27 Danubii solidata ruunt expertaque remos  
 28 frangunt stagna rotis ; alii per Caspia claustra  
 29 Armeniasque nives inopino tramite ducti  
 30 invadunt Orientis opes. Jam pascua fumant  
 31 Cappadocum volucrumque parens Argaeus equorum,  
 32 jam rubet altus Halys nec se defendit iniquo  
 33 monte Cilix. Syriae tractus vastantur amoeni  
 34 adsuetumque choris et laeta plebe canorum  
 35 proterit imbellem sonipes hostilis Orontem.  
 36 Hinc planctus Asiae ; Geticis Europa catervis  
 37 ludibrio praedaeque datur frondentis ad usque  
 38 Dalmatiae fines : omnis qua mobile Ponti  
 39 aequor et Adriacas tellus interjacet undas  
 40 squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,  
 41 instar anhelantis Libyae, quae torrida semper  
 42 solibus humano nescit mansuescere cultu.  
 43 Thessalus ardet ager ; reticet pastore fugato  
 44 Pelion ; Emathias ignis populatur aristas.  
 45 Nam plaga Pannoniae miserandaque moenia Thracum  
 46 arvaeque Mysorum jam nulli flebile damnum,  
 47 sed cursus sollemnis erat campusque furori  
 48 expositus, sensumque malis detraxerat usus.  
 49 Eheu quam brevibus pereunt ingentia causis !  
 50 Imperium tanto quaesitum sanguine, tanto  
 51 servatum, quod mille ducum peperere labores,  
 52 quod tantis Romana manus contexuit annis,  
 53 proditor unus iners angusto tempore vertit !  
 54 Urbs etiam, magnae quae ducitur aemula Romae  
 55 et Calchedonias contra despectat harenas,  
 56 jam non finitimo Martis terrore movetur,  
 57 sed propius lucere faces et rauca sonare  
 58 cornua vibratisque peti fastigia telis  
 59 adspicit. Hi vigili muros statione tueri,  
 60 hi junctis properant portus munire carinis.  
 61 Obsessa tamen ille ferus laetatur in urbe  
 62 exultatque malis summaeque ex culmine turris  
 63 impia vicini cernit spectacula campi :  
 64 vinctas ire nurus, nunc in vada proxima mergi  
 65 seminecem, hunc subito percussum vulnere labi  
 66 dum fugit, hunc animam portis efflare sub ipsis ;  
 67 nec canos prodesse seni puerique cruore  
 68 maternos undare sinus. Immensa voluptas  
 69 et risus plerumque subit ; dolor afficit unus,  
 70 quod feriat non ipse manu. Videt omnia late  
 71 praeceptis incensa suis et crimine tanto  
 72 luxuriant carumque sibi non abnuit hostem ;  
 73 jactabatque ultro quod soli castra paterent  
 74 sermonumque foret vicibus permissa potestas.  
 75 Egregii quotiens exisset foederis auctor,  
 76 stipatus sociis circumque armata clientum  
 77 agmina privatis ibant famulantia signis.

78 Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat  
79 barbariem, revocat fulvas in pectora pelles  
80 frenaque et inmanes pharetras arcusque sonoros  
81 adsimulat mentemque palam testatur amictus.  
82 Nec pudet Ausonios currus et jura regentem  
83 sumere deformes ritus vestemque Getarum,  
84 insignemque habitum Latii mutare togaeque.  
85 Maerent captivae pellito iudice leges.  
86 Quis populi tum vultus erat ! Quae murmura furtim !  
87 Nam miseris nec flere quidem aut lenire dolorem  
88 colloquiis impune licet : "Quonam usque feremus  
89 exitiale jugum ? Durae quis terminus umquam  
90 sortis erit ? Quis nos funesto turbine rerum  
91 aut tantis solvet lacrimis, quos barbarus illinc,  
92 hinc Rufinus agit, quibus arva fretumque negatur ?  
93 Magna quidem per rura lues, sed major oberrat  
94 intra tecta timor. Tandem succurre ruenti  
95 heu patriae, Stilicho ! Dilecta hic pignora certe,  
96 hic domus, hic thalamis primum genialibus omen,  
97 hic tibi felices erexit regia taedas.  
98 Vel solus sperate veni. Te proelia viso  
99 languescent avidique cadet dementia monstri."  
100 Talibus urgetur discors Aurora procellis.  
101 At Stilicho, Zephyris cum primum bruma remitti  
102 et juga diffusis nudari coepta pruinis,  
103 partibus Italiae tuta sub pace locatis,  
104 utraque castra movens Phoebi properabat ad ortus,  
105 Gallica discretis Eoaque robora turmis  
106 complexus. Numquam tantae dicione sub una  
107 convenere manus nec tot discrimina vocum :  
108 illinc Armeniae vibratis crinibus alae  
109 fervida collectae facili velamina nodo ;  
110 inde truces flavo comitantur vertice Galli,  
111 quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit  
112 et quos nascentes explorat gurgite Rhenus  
113 quosque rigat retro perniciosior unda Garunnae,  
114 Oceani pleno quotiens impellitur aestu.  
115 Mens eadem cunctis animique recentia ponunt  
116 vulnera ; non odit victus victorve superbit.  
117 Et quamvis praesens tumor et civilia nuper  
118 classica bellatrixque etiamnunc ira caleret,  
119 in ducis eximii conspiravere favorem.  
120 Haud aliter Xerxen toto simul orbe secutus  
121 narratur rapuisse vagos exercitus amnes  
122 et telis umbrasse diem, cum classibus iret  
123 per scopulos tectumque pedes contemneret aequor.  
124 Vix Alpes egressus erat nec jam amplius errat  
125 barbarus adventumque timens se cogit in unam  
126 planitiem tutoque includit pascua gyro ;  
127 tum duplici fossa non exuperabile vallum  
128 asperat alternis sudibus murique locatum  
129 in speciem caesis obtendit plaustra juvenis.  
130 At procul exanguis Rufinum perculit horror ;  
131 incertae pallore genae ; stetit ore gelato  
132 incertus peteretne fugam, veniamne subactus  
133 posceret an tantos sese transferret in hostes.  
134 Quid nunc divitiae, quid fulvi vasta metalli  
135 congeries, quid purpureis effulta columnis

136 atria prolataeve juvant ad sidera moles ?  
137 Audit iter numeratque dies spatioque viarum  
138 metitur vitam. Torquetur peste futura  
139 nec recipit somnos et saepe cubilibus amens  
140 excutitur poenamque luit formidine poenae.  
141 Sed redit in faciem scelerumque inmane resumit  
142 ingenium sacrasque fores praedivitis aulae  
143 intrat et Arcadium mixto terrore precatur :  
144 "Per fratris regale jubar, per facta parentis  
145 aetherii floremque tui te deprecor aevi,  
146 eripe me gladiis ; liceat Stilichonis iniquas  
147 evitare manus. In nostram Gallia caedem  
148 conjurata venit. Quidquid ligat ultima Tethys,  
149 extremos ultra volitat gens si qua Britannos,  
150 mota mihi. Tantis capiendi credimur armis !  
151 Tot signis unum petitur caput ! Unde cruoris  
152 ista sitis ? Geminum caeli sibi vindicat axem  
153 et nullum vult esse parem. Succumbere poscit  
154 cuncta sibi : regit Italiam Libyamque coerces ;  
155 Hispanis Gallisque jubet ; non orbita solis,  
156 non illum natura capit. Quascumque paravit  
157 hic Augustus opes et quas post bella recepit,  
158 solus habet ; possessa semel nec reddere curat.  
159 Scilicet ille quidem tranquilla pace fruatur.  
160 Nos premat obsidio ? Quid partem invadere temptat ?  
161 Deserat Illyricos fines ; Eoa remittat  
162 agmina ; fraternas ex aequo dividat hastas ;  
163 nec sceptri tantum fueris, sed militis heres.  
164 Quodsi dissimulas nostrae succurrere morti  
165 nec prohibere paras, Manes et sidera testor :  
166 haec cervix non sola cadet ; miscebitur alter  
167 sanguis ; nec Stygias ferar incommitatus ad undas  
168 nec mea securus ridebit funera victor ! "  
169 Haec ubi, dictatur facinus missusque repente  
170 qui ferat extortas invito principe voces.  
171 Interea Stilicho jam laetior hoste propinquo  
172 nec multo spatii distantibus aequore vallis  
173 pugnandi cupidus accendit voce cohortes.  
174 Armeniis frons laeva datur ; per cornua Gallos  
175 dexteriora locat. Spumis ignescere frena,  
176 pulveris extolli nimbos lateque videres  
177 surgere purpureis undantes anguibus hastas  
178 serpentumque vago caelum saevire volatu.  
179 Implet Thessaliam ferri nitor antraque docti  
180 cornipedis, teneroque amnis reptatus Achilli  
181 et nemus Oetaeum radiat. Clamore nivalis  
182 Ossa tonat pulsoque fragor geminatur Olympo.  
183 Intumuit virtus et lucis prodigus arsit  
184 impetus ; haud illos rupes, haud alta vetarent  
185 flumina : praecipiti stravissent omnia cursu.  
186 Si tunc his animis acies collata fuisset,  
187 prodita non tantas vidisset Graecia clades,  
188 oppida semoto Pelopeia Marte vigerent,  
189 starent Arcadiae, starent Lacedaemonis agri ;  
190 non mare fumasset geminum flagrante Corinthe  
191 nec fera Cecropias traxissent vincula matres.  
192 Illa dies potuit nostris imponere finem  
193 cladibus et sceleris causas auferre futuri.

194 Invida pro quantum rapuit Fortuna triumphum !  
 195 Inter equos interque tubas mandata feruntur  
 196 regia et armati veniunt ductoris ad aures.  
 197 Obstupuit. Simul ira virum, simul obruit ingens  
 198 maeror et ignavo tantum licuisse nocenti  
 199 miratur. Dubios anceps sententia volvit  
 200 eventus : peragat pugnas an fortia coepta  
 201 deserat. Illyricis ardet succurrere damnis ;  
 202 praeceptis obstare timet. Reverentia frangit  
 203 virtutis stimulos : hinc publica commoda suadent,  
 204 hinc metus invidiae. Tandem indignatus ad astra  
 205 extollit palmas et ab imo pectore fatur :  
 206 "Numina Romanis necdum satiata ruinis,  
 207 si juvat imperium penitus de stirpe revelli,  
 208 uno si placuit deleri saecula lapsu,  
 209 si piget humani generis, prorumpat in arva  
 210 libertas effrena maris, vel limite justo  
 211 devius errantes Phaethon confundat habenas.  
 212 Cur per Rufinum geritur ? Procumbere mundum  
 213 hoc auctore pudet. Mediis revocamur ab armis.  
 214 Pro dolor ! Et strictos deponere cogimur enses.  
 215 Vos, arsurae urbes perituraque moenia, testor :  
 216 cedo equidem et miserum permitto casibus orbem.  
 217 Flectite signa, duces. Redeat jam miles Eous.  
 218 Parendum est. Taceant litui. Prohibete sagittas,  
 219 Parcite contiguo ( Rufinus praecipit !) hosti."  
 220 His dictis, omnes una fremuere manipuli,  
 221 quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu,  
 222 quantum non madidis inlisa tonitrua Coris,  
 223 secernique negant ereptaque proelia poscunt  
 224 insignemque ducem populus defendit uterque  
 225 et sibi quisque trahit. Magno certatur amore,  
 226 alternamque fidem non inlaudata lacessit  
 227 seditio talique simul clamore queruntur :  
 228 "Quis mihi nudatos enses, quis tela lacertis  
 229 excutit et solvi curvatos imperat arcus ?  
 230 Quisnam audet stricto leges imponere ferro ?  
 231 Inflammata semel nescit mitescere virtus.  
 232 Jam mihi barbaricos sitientia pila cruores  
 233 sponte volant ultroque manus mucrone furenti  
 234 ducitur et siccum gladium vagina recusat.  
 235 Non patiar. Semperne Getis discordia nostra  
 236 proderit ? En iterum belli civilis imago !  
 237 Quid consanguineas acies, quid dividis olim  
 238 concordem aquilas ? Non dissociabile corpus  
 239 conjunctumque sumus. Te qua libet ire sequemur.  
 240 Te vel Hyperboreo damnatam sidere Thylen,  
 241 te vel ad incensas Libyae comitabor harenas.  
 242 Indorum si stagna petas Rubrique recessus  
 243 litoris, auriferum veniam poturus Hydaspen ;  
 244 si calcare Notum secretaque litora Nili  
 245 nascentis jubeas, mundum post terga relinquam ;  
 246 et quocumque loco Stilicho tentoria figet,  
 247 hic patria est." Dux inde vetat : "Desistite, quaeso,  
 248 atque avidam differte manum. Cadat iste minacis  
 249 invidiae cumulus. Non est victoria tanti  
 250 ut videar vicisse mihi. Vos, fida juvenus,  
 251 ite, mei quondam socii." Nec plura locutus

252 flexit iter : vacuo qualis discedit hiatu  
 253 impatiens remeare leo, quem plurima cuspis  
 254 et pastorales pepulerunt igne catervae,  
 255 inclinatque jubas demissaque lumina velat  
 256 et trepidas maesto rimatur murmure silvas.  
 257 Ut sese legio vidit disjuncta relinqui,  
 258 ingentem tollit gemitum galeasque solutis  
 259 humectat lacrimis pressamque morantia vocem  
 260 thoracum validos pulsant suspiria nexus :  
 261 "Tradimur, heu, tantumque sequi prohibemur amorem ! "  
 262 exclamant, "tradisne tuas, dux optime, dextras,  
 263 quas tibi victrices totiens Bellona probavit ?  
 264 Nos adeo viles ? Adeo felicior axis  
 265 Hesperius, meruit qui te rectore teneri ?  
 266 Quid nobis patriam, quid cara revisere tandem  
 267 pignora dilectosve juvat coluisse penates ?  
 268 Te sine dulce nihil. Jam formidata tyranni  
 269 tempestas subeunda mihi, qui forte nefandas  
 270 jam parat insidias, qui nos aut turpibus Hunis  
 271 aut impacatis famulos praebebit Alanis ;  
 272 quamquam non adeo robur defecerit omne  
 273 tantave gestandi fuerit penuria ferri.  
 274 Tu, licet occiduo maneat sub cardine solis,  
 275 tu mihi dux semper, Stilicho, nostramque vel absens  
 276 experiere fidem. Dabitur tibi debita pridem  
 277 victima : promissis longe placabere sacris."  
 278 Tristior Haemoniis miles digressus ab oris  
 279 tangebatur Macetum fines murosque subibat,  
 280 Thessalonica, tuos. Sensus dolor haeret in alto  
 281 abditus et tacitas vindictae praestruit iras,  
 282 spectaturque favens odiis locus aptaque leto  
 283 tempora. Nec quisquam tanta de pube repertus,  
 284 proderet incautis qui corda minantia verbis.  
 285 Quae non posteritas, quae non mirabitur aetas  
 286 tanti consilium vulgi potuisse taceri  
 287 aut facinus tam grande tegi mentisque calorem  
 288 non sermone viae, non inter pocula rumpi ?  
 289 Aequalis tantam tenuit constantia turbam  
 290 et fuit arcanum populo ! Percurritur Hebrus  
 291 deseritur Rhodope Thracumque per ardua tendunt  
 292 donec ad Herculei perventum nominis urbem.  
 293 Ut cessasse ducem, propius venisse cohortes  
 294 cognita Rufino, magna cervice triumphat  
 295 omnia tuta ratus sceptrumque capessere fervet  
 296 et conjuratos hortatur voce clientes :  
 297 "Vicimus, expulimus, facilis jam copia regni.  
 298 Nullus ab hoste timor. Quis enim, quem vincere solum  
 299 horruit, hunc tanto munitum milite vincat ?  
 300 Quis ferat armatum, quem non superavit inermem ?  
 301 I nunc, exitium nobis meditare remotus  
 302 incassum, Stilicho, dum nos longissima tellus  
 303 dividat et mediis Nereus interstrepit undis.  
 304 Alpinas transire tibi me sospite rupes  
 305 haud dabitur. Jaculis illinc me figere tempta.  
 306 Quaere ferox ense, qui nostra ad moenia tendi  
 307 possit ab Italia. Non te monumenta priorum,  
 308 non exempla vetant ? Quisnam conatus adire  
 309 has jactat vitasse manus ? Detrusimus orbe

310 te medio tantisque simul spoliavimus armis.  
311 Nunc epulis tempus, socii, nunc larga parare  
312 munera donandumque novis legionibus aurum.  
313 Opportuna meis oritur lux crastina votis.  
314 Quod nolit rex ipse velit jubeatque coactus  
315 in partem mihi regna dari. Contingat in uno  
316 privati fugisse modum crimenque tyranni."  
317 Talibus adclamat dictis infame nocentum  
318 concilium, qui perpetuis crevere rapinis  
319 et quos una facit Rufino causa sodales,  
320 inlicitum duxisse nihil. Delicta fuere  
321 nexus amicitiae. Jamjam conubia laeti  
322 despondent aliena sibi frustra que vicissim  
323 promittunt quae quisque petat, quas devoret urbes.  
324 Coeperat humanos alto sopire labores  
325 nox gremio pigrasque sopor diffuderat alas.  
326 Ille diu curis animum stimulantibus aegrum  
327 labitur in somnos. Toto vix corde quierat,  
328 ecce videt diras adludere protinus umbras  
329 quas dedit ipse neci. Quarum quae clarior una  
330 visa loqui : "Pro ! surge toro. Quid plurima volvis  
331 anxius ? Haec requiem rebus finemque labori  
332 adlatura dies : omni jam plebe redibis  
333 altior et laeti manibus portabere vulgi."  
334 Has canit ambages. Occulto fallitur ille  
335 omine nec capitis sentit praesagia sentit.  
336 Jam summum radiis stringebat Lucifer Haemum  
337 festinamque rotam solito properantior urget  
338 tandem Rufini visurus funera Titan.  
339 Desiluit stratis densaeque capacia turbae  
340 atria regifico jussit splendere paratu  
341 exceptura dapes et, quod post vota daretur,  
342 inscribi propriis aurum fatale figuris.  
343 Ipse salutatum reduces post proelia turmas  
344 jam regale tumens et principe celsior ibat  
345 collaque femineo solvebat mollia gestu  
346 imperii certus, tegetet ceu purpura dudum  
347 corpus et ardentis ambirent tempora gemmae.  
348 Urbis ab angusto tractu, qua vergit in Austrum,  
349 planities vicina patet. Nam cetera pontus  
350 circuit exiguo dirimi se tramite passus.  
351 Hic ultrix acies ornatu lucida Martis  
352 explicuit cuneos. Pedites in parte sinistra  
353 consistunt. Equites illinc poscentia cursum  
354 ora reluctantur pressis sedare lupatis ;  
355 hinc alii saevum cristato vertice nutant  
356 et tremulos humeris gaudent vibrare colores,  
357 quos operit formatque chalybs ; conjuncta per artem  
358 flexilis inductis animatur lamina membris,  
359 horribilis visu : credas simulacra moveri  
360 ferrea cognatoque viros spirare metallo.  
361 Par vestitus equis : ferrata fronte minantur  
362 ferratosque levant securi vulneris armos.  
363 Diviso stat quisque loco, metuenda voluptas  
364 cernenti pulcherque timor, spirisque remissis  
365 mansuescunt varii vento cessante dracones.  
366 Augustus veneranda prior vexilla salutatur.  
367 Rufinus sequitur, qui fallere cuncta solebat

368 callidus affatu, devotaque brachia laudat  
 369 nomine quemque vocans. Natos patresque reversis  
 370 nuntiat incolumes. Illi dum plurima ficto  
 371 certatim sermone petunt, intendere longos  
 372 a tergo flexus insperatoque suprema  
 373 circuitu sociare parant. Decrescere campus  
 374 incipit et clipeis in se redeuntia junctis  
 375 curvo paulatim sinuantur cornua ductu.  
 376 Sic ligat immensa virides indagine saltus  
 377 venator, sic attonitos ad litora pisces  
 378 aequoreus populator agit rarosque plagarum  
 379 contrahit anfractus et hiantes colligit oras.  
 380 Excludunt alios. Cingi se fervidus ille  
 381 nescit adhuc graviterque adprensa veste morantem  
 382 increpat Augustum : scandat sublime tribunal,  
 383 participem sceptri, socium declaret honoris,  
 384 cum subito stringunt gladios. Vox desuper ingens  
 385 infremuit : "Nobis etiam, deterrime, nobis  
 386 sperasti famulas imponere posse catenas ?  
 387 Unde redi nescis ? Patiarne audire satelles,  
 388 qui leges aliis libertatemque reduxi ?  
 389 Bis domitum civile nefas, his rupimus Alpes.  
 390 Tot nos bella docent nulli servire tyranno."  
 391 Deriguit. Spes nulla fugae : seges undique ferri  
 392 circumfusa micat. Dextra laevaue revinctus  
 393 haesit et ensiferae stupuit mucrone coronae,  
 394 ut fera, quae nuper montes amisit avitos  
 395 altorumque exul nemorum damnatur harenae  
 396 verberibus, commota ruit ; vir murmure contra  
 397 hortatur nixusque genu venabula tendit ;  
 398 illa pavet strepitus cuneosque erecta theatri  
 399 respicit et tanti miratur sibila vulgi.  
 400 Unus per medios audendi pronior ense  
 401 prosilit exerto dictisque et vulnere torvus  
 402 adpetit : "Hac Stilicho, quem jactas pelleri, dextra  
 403 te ferit ; hoc absens invadit viscera ferro."  
 404 sic fatur meritoque latus transverberat ictu.  
 405 Felix illa manus, talem quae prima cruorem  
 406 hauserit et fessi poenam libraverit orbis !  
 407 Mox omnes fodiunt hastis artusque trementes  
 408 dilacerant ; uno tot corpore tela tepescunt  
 409 et non infecto puduit mucrone reverti.  
 410 Hi vultus avidos et adhuc spirantia vellunt  
 411 lumina, truncatos alii rapuere lacertos ;  
 412 amputat ille pedes, umerum quatit ille solutis  
 413 nexibus ; hic fracti reserat curvamina dorsi ;  
 414 hic jecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas  
 415 pulmonis latebras. Spatium non invenit ira  
 416 nec locus est odiis. Consumpto funere vix tum  
 417 deseritur sparsumque perit per tela cadaver.  
 418 Sic mons Aonius rubuit, cum Penthea ferrent  
 419 Maenades aut subito mutatum Actaeona cornu  
 420 traderet insanis Latonia visa Molossis.  
 421 Criminibusne tuis credis, Fortuna, mederi  
 422 et male donatum certas aequare favorem  
 423 suppliciiis ? Una tot milia morte rependis ?  
 424 Eversis agedum Rufinum divide terris.  
 425 Da caput Odrysiis, truncum mereantur Achivi.

426 Quid reliquis dabitur ? Nec singula membra peremptis  
427 sufficiunt populis. Vacuo plebs obvia muro  
428 jam secura fluit ; senibus non obstitit aetas  
429 virginibusve pudor ; viduae quibus ille maritos  
430 abstulit orbataeque ruunt ad gaudia matres  
431 insultantque alacres. Laceros juvat ire per artus  
432 pressaque calcato vestigia sanguine tingui.  
433 Nec minus adsiduis flagrant elidere saxis  
434 prodigiale caput, quod jam de cuspide summa  
435 nutabat digna rediens ad moenia pompa.  
436 Dexteram quin etiam ludo concessa vagatur  
437 aera petens fraudesque animi persolvit avari  
438 terribili lucro vivosque imitata retentus  
439 cogitur adductis digitos inflectere nervis.  
440 Desinat elatis quisquam confidere rebus  
441 instabilesque deos et lubrica numina discat.  
442 Illa manus, quae sceptrum sibi gestanda parabat,  
443 cujus se totiens summisit ad oscula supplex  
444 nobilitas, inhumata diu miseroque revulsa  
445 corpore, feralem quaestum post fata reposit.  
446 Adspiciat quisquis nimium sublata secundis  
447 colla gerit rebus : calcandus spargitur ecce  
448 qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis  
449 ornatura suos extruxit culmina Manes ;  
450 et qui Sidonio velari credidit ostro,  
451 nudus pascit aves. Jacet en qui possidet orbem,  
452 exiguae telluris inops et pulvere raro  
453 per partes tegitur nusquam totiensque sepultus.  
454 Senserunt convexa necem tellusque nefandum  
455 emolitur onus jam respirantibus astris.  
456 Infernos gravat umbra lacus. Pater Aeacus horret  
457 intrantemque etiam latratu Cerberus urget.  
458 Tunc animae, quas ille fero sub jure peremit,  
459 circumstant nigrique trahunt ad iudicis urnam  
460 infesto fremitu : veluti pastoris in ora  
461 commotae glomerantur apes, qui dulcia raptu  
462 mella vehit, pennasque cient et spicula tendunt  
463 et tenuis saxi per propugnacula cinctae  
464 rimosam patriam dilectaque pumicis antra  
465 defendunt pronoque favos examine velant.  
466 Est locus infaustus quo conciliantur in unum  
467 Cocytos Phlegethonque vadis ; inamoenus uterque  
468 alveus ; hic volvit lacrimas, hic igne redundat.  
469 Turris per geminos, flammis vicinior, amnes  
470 porrigitur solidoque rigens adamante sinistro  
471 proluit igne latus ; dextra Cocytia findit  
472 aequora triste gemens et fluctu concita plangit.  
473 Huc post emeritam mortalia saecula vitam  
474 deveniunt. Ibi nulla manent discrimina fati,  
475 nullus honos vanoque exutum nomine regem  
476 proturbat plebeius egens. Quaesitor in alto  
477 conspicuus solio pertemptat crimina Minos  
478 et justis dirimit fontes. Quos nolle fateri  
479 viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris.  
480 Nam juxta Rhadamanthus agit. Cum gesta superni  
481 curriculi totosque diu perspexerit actus,  
482 exaequat damnum meritis et muta ferarum  
483 cogi vincula pati. Truculentos ingerit ursis

484 praedonesque lupis ; fallaces vulpibus addit.  
485 At qui desidia semper vinoque gravatus,  
486 indulgens Veneri, voluit torpescere luxu,  
487 hunc suis immundi pingues detrudit in artus.  
488 Qui justo plus esse loquax arcanaque suevit  
489 prodere, piscosas fertur victurus in undas,  
490 ut nimiam pensent aeterna silentia vocem.  
491 Quos ubi per varios annos, per mille figuras  
492 egit, Lethaeo purgatos flumine tandem  
493 rursus ad humanae revocat primordia formae.  
494 Tum quoque dum lites Stygiique negotia solvit  
495 dura fori veteresque reos ex ordine quaerit,  
496 Rufinum procul ecce notat visuque severo  
497 lustrat et ex imo concussa sede profatur :  
498 "Huc superum labes, huc insatiabilis auri  
499 proluvies pretioque nihil non ause parato,  
500 quodque mihi summum scelus est, huc improbe legum  
501 venditor, Arctoi stimulator perfide Martis,  
502 cujus ob innumeras strages angustus Averni  
503 jam sinus et plena lassatur portitor alno !  
504 Quid demens manifesta negas ? En pectus inustae  
505 deformant maculae vitiisque inolevit imago  
506 nec sese commissa tegunt. Genus omne dolorum  
507 in te ferre libet : dubio tibi pendula rupes  
508 imineat lapsu, volucer te torqueat axis,  
509 te refugi fallant latices atque ore natanti  
510 arescat decepta sitis, dapibusque relictis  
511 in tua mansurus migret praecordia vultur.  
512 Quamquam omnes alii quos haec tormenta fatigant  
513 pars quota sunt, Rufine, tui ! Quid tale vel audax  
514 fulmine Salmoneus vel lingua Tantalus egit  
515 aut inconsulto Tityos deliquit amore ?  
516 Cunctorum si facta simul jungantur in unum,  
517 praecedes numero. Cui tanta piacula quisquam  
518 supplicio conferre valet ? Quid denique dignum  
519 omnibus inveniam, vincant cum singula poenas ?  
520 Tollite de mediis animarum dedecus umbris.  
521 Aspexisse sat est. Oculis jam parcite nostris  
522 et Ditis purgate domos. Agitate flagellis  
523 trans Styga, trans Erebum, vacuo mandate barathro  
524 infra Titanum tenebras infraque recessus  
525 Tartareos ipsumque Chaos, qua noctis opacae  
526 fundamenta latent. Praeceptis ibi mersus anhelet,  
527 dum rotat astra polus, feriunt dum litora venti."